Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-633560-p0001-6

Mi. 286a

nicht verfasser
nicht PK

1) Pinagius, Joh.

nebst 21—40)

(Nr. 21 enthält
allein 20 Dissertationen)

2 mit Widmungen
an Rudolph!

DE MORBIS TOTA SVBSTANTIA NATVRÆ NOSTRÆ CONTRARIIS

Progymnasma Medicum,

Quod sub præsidio Clarissimi Viri

Dn: IOHAN: IESSENII à IESSEN

Doctoris, & Professoris VViteb:

16. Aprilis in auditorio Majori publica disputatione tuebitur

Stephanus Mylius Geranodensis.

M L 286a

VVITEBERGAE

Typis M. Ioannis Cratonis, An. M. D. XCVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-633560-p0003-7

Generosissimo & Illustriss. Prin=
cipi Dn. Dn. Ioanni Georgio Principi An-
haldino, comiti Ascaniæ, Dn. Servestæ
ac Bernburgi, Dn. suo cle-
mentissimo

Dicat & consecrat Respond.

De amicitia & odio
totius ſubſtantiæ.
CAP. I.

REs temperamento quatuor Elementorum coagmentatæ, inter ſe collatæ, nõ ſolũ primis, atq; evidentibus qualitatibus, ſed quadam & latente vi totius ſubſtantiæ, aut conveniunt, aut diſſident, aut medio modo ſe habent. Humanum corpus, aliis comparatum rebus, cũ quibuſdam tantã ſimilitudinem obtinet, ut una naturæ conjunctione, quam συμπάθειαν Græci vocant, conſtrictum videatur. A quibuſdam ita abhorret, ut contrarium ſit, atq; loco conſenſus extremum diſsidiũ, quod Græci ἀντιπάθειαν nominant, alat. Alimenta licet differant, ſunt tamen partibus noſtris finitima, ita ut ab ipſis attracta & mutata, ſimilia prorſus efficiantur. καθάρκτικα noſtri corporis ſuccis adeo ſimilia ſunt, ut ipſos attrahant, atq; levi accedente naturæ impulſu educant. Αλεξιτήρια & ἀλεξιφάρμακα, inter alimenta, quæ nobis ſimilia, & venena, quæ inimica, mediam naturam habent. Quamobrem neq; nocent, ut hæc, neq; illorum modo nos alunt, ſed venenis & ſucco-

rum malignitati resistunt, nobisq; opitulantur. Sunt item plura alia, ut lignum, corium, ossa, quæ alere nequeunt, nobis dissimilia. Minimè autem cùm detrimentum afferant, non contraria. Amicitia igitur dissidiumq; hoc ad totam substantiam & proportionem quandam, non verò ad primarum qualitatum moderationem, vel excessum, referendum. Aliàs enim Chamomælum, quod temperiem multis similem nactum, nutriret: Argillaq; nostra æquè ut lutum Lemnium resistere venenis posset. Morbi ergo tota nobis substantia adversi, non ad evidẽtis alicujus qualitatis excessum, sed ad discrepantiam totius substantiæ pertinent, ob quam extremè lædunt, sæva symptomata inducunt, ita ut celerrimè vel interimant, aut non facilè oppugnari sese patiantur. Istiusmodi febres pestilentes, & illa, quæ deleterijs pharmacis, aut venenatorum morsu, item ex Averni aspiratione, exoriuntur mala existunt. Ad totius quoque substantiæ inimicitiam, & lues Gallica, quæ citra manifestæ qualitatis excessum, graviter omnes affligit corporis partes, spectat.

De

De Causis.

CAP. II.

MOrbus cùm vitæ munera lædat omnis, in partibus, à quibus illa administrantur, consistat solidis necesse: sive proximè eas occupet, sive in materia, quam continent, resideat. Qui illas immediatè tenet, non amplius à causa fovetur continente, siquidem jam factus, neq; ulterius, quemadmodum ille, qui per vitiosam eas affecit materiam, afficit. Idem & his substantiæ morbis evenit. Nam hi si solidis inhæreant partibus, à causa continente amplius non foventur: Sin per materiam, quam habent vitiatam, in ipsis residente: ab eadem, tanquam causa continente, retinentur. Vt autem propositi morbi, ubi fiunt, aut facti sunt: sic materia vitiosa, quæ vel eos faciet aut fecit, non solùm causa, sed & continens est. Illa verò ubi præterierit, desieritq; facere, amplius nominari causa nequit. Sed quomodocunq; se habeat: aut contracta in corpore est, aut externa venit aliunde. Contrahuntur in corpore nostro interdum humores adeò pravi, ut vim venenorum æquent, quæ vel præcipitant subitò,

aut progressi lentè, tandem interimunt. Posse verò genitos in corpore humores eò malignitatis venire, Pelops Galeni Magister, quòd sine externa injuria, aliquot toxicatorum instar, percelerem aliquando sequi interitum cerneret, judicavit. Colliguntur verò hi in corpore, quòd aut ex esculentis aut poculentis vitiosis mox gignantur: aut quamvis principio bona assumantur, aëre tamen putri, nimiaq; retentione vitientur. Semel enim cocti amplius perfici nequeunt: Vnde assiduo à calore nostro mutati, deteriores fiant necesse: adeò ut interdum noxij evadant, quod de semine & uteri sanguine manifestum. Externæ causæ multæ sunt, ut aër pestilens, averni aspiratio, vapor ægri aut de mortui corpore exhalans, contaminatio, venenum propinatum, aut solo cutis contactu noxium, aut per morsum & aculeum illatum. Evadit ita pestilens quandoq; aër, qualis Athenienſium, à Thucydide & Lucretio descriptus, ut validissimè venenet. Morbo Gallico infecti, quem pudendis afflant, tota substantia inimicus vapor est, turpiq; contagio alios contaminat, licet, postremè exitiosus nõsit. Venena

quæ

quæ assumuntur, aut naturaliter cibis, potibus, aut insperſi insunt, utriqꝫ à metallis, stirpibus, atqꝫ belluis subministrantur: Alia per morsum & ictum venenatorum, alia per sagittas, & tela inferuntur. Adeò autem naturæ nostræ infensa, ut licet nil vel parum relinquant materiæ, mox per spiritus instar radiorum solarium totum penetrent, parteqꝫ sauciata nervea, primò proximas, dein per partium successivum contactum, ultimò cerebrum, lacerata arteria, extremè cor, vulnerata vena, postremò jecur inficiant. Id quod non tela solùm, sed & venenata applicita medicamenta præstare queunt.

De Symptomatibus.

CAP. III.

MOrbi hi proportione graviora afferunt symptomata. Ex pestilente aëre febris fit, quæ licet levis appareat, ardente tamẽ deterior est. Ictum Scorpii, viperæqꝫ morsum, insensibilem plagam, tanta mala, quanta ne ingentia quidem vulnera, sequuntur. Exigua lethalis poculi portio plus de naturali præcipitat statu, quâm magna eorum copia, quæ extremis qualitatibus solent esse noxia. Quæ & pravorum succorum ratio est. Ex putri

vapore contagio, quantum incommodi advehat morbo Gallico, penè deformati experiuntur. Hinc intelligi poteſt, morbos ſubſtantiæ aliis collatos, ſymptomata longè ſæviora, & ut graviora, ita etiam plura adferre. Quandoquidem potentiùs plures, & præcipuæ magis partes offenduntur, ita ut nullum ſymptomatum genus ſit, quod hos non comitetur: Quamvis ſpecies, quæ ſub his generibus comprehenduntur, interdum rariores, interdum frequentiores, & modò hæ, modò illæ ſe oſtendant: Id quod partim à partibus, quæ læduntur, partim à morbis lædentibus proficiſcitur. Ex actionibus læduntur animales præcipuè, imaginatio, ratio, & memoria, læditur ſenſus, motus, unde ægerdelirat, ſtupet, dolet, convellitur & anheloſus veluti ſtrangulatur. E vitalibus, pulſus è toto vel interit, vel intermittens debilis, animæ deliquium accerſit. Ex naturalibus corrumpitur coctio, adeſt intolerabilis cum cibi faſtidio ſitis. Ex qualitatibus corporis, cutis cadaveroſa, plumbea, nigra cernitur, & cum extremis frigida ſentitur: præter naturam ſudor circa caput & collum frigidus extruditur, alvi & univerſa excrementa retinentur. De

De Speciebus & differentiis.

CAP. IIII.

BOno, quod unum eſt, multa contraria ſunt, & non unum duntaxat. Nam virtuti, quæ in medio conſiſtit, utrumq; extremum opponitur. Toti ſubſtantiæ noſtræ, quæ unũ quoddam bonum eſt, multa, à quibus perimitur, contraria ſunt: quo fit, ut ſub genere eorum, quæ cum ipſa pugnant, multæ ſpecies comprehendantur, quarum omnium commune, ut ipſi adverſentur. Quia verò aliarum alia proportio & mixturæ ratio eſt, quamvis naturæ noſtræ quælibet inimica ipſam deleat, inter ſe tamen differunt. Species verò morbi hujus tot ſunt, quot cauſarum, unde proficiſcuntur, quarum unaquæq; differentem ſpeciem efficit. Si res, quæ eidem ſpeciei ſubjiciuntur, undiq; forent ſimiles, fruſtra ulteriùs inquirerentur differentiæ. Sed quia inter ſe pluribus modis diſſident, poſt ſpecies earum quærenda differentia. Depromitur autem, vel à ſubjecta materia, vel à modo, quo hanc morbi formam accipit, vel à magnitudine, loco, motu, tempore, hanc formã in ſubjecta materia conſequentibus, vel à cau-

ſis ipſam efficientibus, vel, quæ inde proficiſcũtur, effectibus. Subjecta materia, ob diverſitatẽ ætatis, temperamenti, virium, differentias ſuppeditat: Siquidem morbus hic, pro horum varietate, variè curandus. Ex conſequentibus formam in ſubjecta materia oriuntur differentiæ à magnitudine, cùm non ſemper æqualis, unde magnus & parvus dicitur. A numero, quòd vel ſimplex, vel cum aliis malis compoſitus ſit. A loco, quòd vel toti corpori communis vel plures, pauciores, & has vel illas partes occupet. A motu, quod celer vel tardus, continens, vel intermittens, ordinatus vel perturbatus. A tempore, quòd recens, vel vetuſtus: Quòd item incipiat, augeatur, vigeat, remittatur: A cauſis, quòd veluti peſtis communis ſit: vel hauſto veneno proprius. Quòd ſit ſalubris aut exitioſus, ab effectis.

De Signis.

CAP. V.

Nihil arte tractari poteſt, niſi priùs cognoſcatur. Si quis verò ea, quæ non norit, fœliciter tractarit, id fortunæ potius acceptum referet. Priuſquam enim rationem curandi aggrediatur

diatur medicus, ea, quæ curanda ſunt, res nimirum contra naturam, morbos, cauſas, ſymptomata, unà cum earundem differentiis, perſpecta habeat oportet. Nec ſatis, abſolutè, quæ tractanda, cognoſcere, ſed eadem in ſubjecta materia, hoc eſt, ægro dijudicare. Quæ ratio in tribus his conſiſtit. Rebus cognoſcendis, rebus per quas cognoſcimus, & cognitionis modum. Quæ in ægro cognoſcenda, non ſunt alia, quàm quæ ad corpus humanũ attinent, hoc eſt, quod tractatur. Sunt autem illa: primò compoſitio illius corporis, tum cauſæ, quæ illam efficiunt vel conſervant: deinde, quæ ab eadem proficiſcuntur, effecta: Poſtremò horum omnium differentiæ. Quicquid ergo in homine ſive præteritũ, præſens aut futurum ſit, neceſſe eſt ad horum aliquod referri. Quicquid verò percipitur à nobis, aut ſenſu aut mente percipitur. Illæ res, quæ ſub ſenſus cadunt, celeriter abſq; arte comprehenduntur. Ea verò, quæ hunc fugiunt, & mente duntaxat cõprehendi queunt, bipartitò diſtribuũtur. Alia.n. aperta ſunt, ut axiomata: Alia verò, quæ rationes, à quib. demonſtrentur, poſtulãt, occulta. Hujuſm. ſũt, quæ in ægro, ubi ſenſus lateant, inquirũtur, & mente percipi-

enda. Rationibus enim, quæ ex rebus perceptis ad id, quod perceptum non eſt, nos deducant, opus. Petũtur ex ijs rationes omnes, è quibus neceſſariò aliquid cõcluditur. Hujuſmodi ſunt vel effecta, ex quibus cauſa colligitur, vel cauſſæ, ex quibus effecta. Vt enim alterum ad alterum refertur: ita alterum ab altero demonſtratur. Duo igitur tantũ loci ſunt, ex quibus teſtimonia firma ſumũtur, cauſæ & effecta, quæ, quòd res abditas monſtrent & ſignificent, à medicis ſigna vocantur. Modus cognoſcendi duplex eſt, vel certus, vel conjecturalis & fallax. Quæ ſenſu accipiuntur, vera etiam & firma: Maxima enim, ſi ſani ſint & non præpediti, ſenſibus veritas. Quæ verò mente percipiuntur, ſignis colligi debent, ex quibus frequentiùs conjectura, quã ſcientia deſumitur. Interdum tamen adeò certa ſunt, ut ad ſtabilem ſcientiam medicum deducant, veluti quæ pulmonis aut pleuræ inflammationem, vel etiam inteſtinorum difficultatẽ denunciant. Quæ hujuſmodi Ariſtoteli πικμήρια dicũtur. Duo autẽ habent: vnũ, ut inſint omnib. illis, quæ ſubjiciũtur rei, cujus ſigna ſunt: alterũ, ut in nullo alio reperiantur. Quæ utrũq; habent,

ſic

ſic reciprocantur, ut ſi adſint vel non adſint, adſit, vel non adſit quoq; res ſignificata: Vbi verò utrumque deſit, ſigna omninò incerta ſunt. Nulla autē pars medicinæ minùs certa magiſq; conjecturalis, quàm quæ διαγνωστικὴ & σημειωτικὴ dicitur. Sed cùm ſigna omnia ad cauſas vel effecta referri oſtenderimus, effecta magis ſolida & expreſſa indicia ſunt: Quare & his utimur frequentiùs. Verùm ſive cauſa, ſive effectus ſignum ſit, rarò idem per ſe ſufficit. Quare ubi uno proprio ſigno declarari res nequit, multorum concurſu, empyricis συνδρομῇ appellato, utendum: Quæ ſi non ſingula, connexa ſaltem teſtimonium firmum faciant. Morbi igitur hi unà cum differentiis cùm ſenſum lateant, mente à cauſis juvantibus & noxiis, demum effectis colligendi. Si igitur eæ, quas cap. 2. cauſas diximus, antegreſſæ ſint, facilè hunc morbum nobis ſuſpectum facient. Ex his item, quæ proſunt & obſunt, ijdem explorādi morbi. Medentur, quæ habēt inter ipſos & naturam noſtram ſubſtantiam mediam, antidoti. Obſunt non illa ſolùm, quæ tota ſubſtantia cum calore noſtro pugnant, ſed quæ evidenter quoq; putredi-

nẽ auget. Maximè autẽ firma judicia ab effectis, hoc est, ſymptomatibus, quæ, quàm in cæteris, pervicaciora eſſe diximus, petuntur. Eaq; via qua morbi differentiæ quoq; dignoſcuntur.

De Prognoſtico.

CAP. VI.

QVæ inquiruntur à medico, vel ad ſalutem ægri, vel ad auctoritatem artis, aut ad utrumq; referuntur. Salus ſeu ſanitas eſt finis, ad quem, quicquid intuetur aut efficit, dirigit. Auctoritas artis quamvis ad exiſtimationem medici faciat, non tamen propter ſe expetenda, ſed ob ægri ſalutem, qui ſe medico faciliùs ſecuriuſq; committat. Quæ verò ad cognitionem præteritorum, & præſentium ſpectat, eadem & ad præſagitionem, res nimirum futuras præcognoſcendas, res per quas præcognoſcimus, & modum præcognoſcendi. Sola compoſitio corporis in ægro præcognoſcenda, quæ non aliud eſt, quàm ipſe eventus ſeu morbi exitus, unâ cũ ſuis differentiis futurus. Hic quadruplex ab Hippocrate: In ſalutem, in interitum, in meliorem, vel deteriorem ſtatum, quibus perſeverantiam in eodem quintum Galenus addidit. Res, per

quas

quas futura præsagimus, duæ sunt, natura & morbus, quæ inter se certant. Quemadmodum autem Gymnastes, cùm luctantes intuetur, utrius sit futura victoria, ex impulsu ac vi utriusq; discernit: Ita medicus cùm in ægrotante pugnantes inter se morbum & naturam cernit, superandúsne sit morbus, an natura, an hæc ab illo, & num ita pares sint, ut neutrum possit vincere, prævidet. Ratio præcognitionis, vel certa est, vel conjecturis nititur. Sensus quidem veri nuncii sunt, sed non nisi præsentia percipiun: Futura mẽte comprehenduntur, quæ comprehensio aliquando cum veritate coincidit, interdum tamen fallax. Cùm.n. unum ab altero plurimùm non superatur, morbi & naturæ robur non facilè, nisi expertus & doctus medicus, discernit. Ex futuris, quæ in his morbis præsagienda sunt, exitus expectari triplex potest: Nam aliqui interdum, ut ex febre pestilenti, liberantur, aliqui intoxicati aut venenatis icti intereunt, quidã neutrum patiuntur, ut solent qui infestiori morbi Gallici specie laborant. Sed qui expectãdus ex causis, h. est, naturæ & morbi collatione, conjiciendus eventus. Naturæ vis ex essentia, qua continetur, hoc est, temperatione

mode-

moderata, quò & ætas refertur, ex causis, ut victu salubri, ex utilitate & noxa, quæ adhibẽtur, remediorum, ex effectis, ut ex actionibus singularum partium, ex qualitatibus corporis, ex his quæ retinentur & detruduntur, parum à naturali statu mutatis. Hæc omnia naturæ validũ ostendunt robur. Contrà vis morbi non ex essẽtia, quæ latet, sed ex causis, ut pravitate succorum, vapore putri, aëre pestilente, telo venenato, mortifero poculo: Quæ ubi magna fuerint, magnum robur morbi nunciant. Idem symptomata, cùm augentur, faciunt. (Nã ubi remittunt, naturam validiorem indicant.) Quemadmodum ex actionibus læsis animæ defectio ac nervorum distensio, ex qualitatibus livor ac nigrities cutis, & extremorum frigus: ex his, quæ detruduntur, capitis & cervicis sudor frigidus: Omnia vi morbi superari naturam, & interemptum iri ægrum, demonstrant.

De Præservatione & Curatione

CAP. VII

Cùm morbi hi tota substantia cum natura nostra pugnent, præcaveri faciliùs quàm cura-

curari possunt. Quare priùs de præservatione agamus. Præcavebũtur, si causæ evitatæ fuerint, corpusq; illis minimê redditũ oportunum, Ad effugiendas causas, secun. cap. enumeratas nulla opus arte cùm & imperiti ac rudes sponte venenatorum esum, avernorum, & putridorũ locorum accessum, pestilentemq; aërem secessu declinent. At quo pacto corpus nostrum, ne tali reddatur contagio obnoxium, muniri debeat, soli norunt medici. In universum igitur hoc dictum sit: corpus, ubi purum est, ubi naturali perspiratu non caret, maximê a prædictis causis defendi. Quamobrẽ ubi copiosior sit, mitti sanguis debet: si pravi succi redundent, exhibendũ catarcticum: Si interclusus sit aditus, his, quæ detrudenda sunt, patefieri debet: ita ut relaxentur, quæ nimis astricta sunt, removeantur quæ obstruunt. Minùs etiam lædetur homo, si quibusdam præsidiis utatur, veluti Theriaca, antidoto Mithridatis, vel etiam aliis, quæ à venenis, & tota substantia inimicis, hominem tueri possunt. Et hæc de præservatione: Restat ultimò curatio. Duo sunt, de quibus laudantur aut vituperantur artifices, inquit Aristoteles:

unum

unum, ad quem omnia, quæ moliuntur, referunt finem: alterum in his, quæ ad finem spectant, vertitur. Hic priusquam eum assequantur artifices, consilium propositum, atqꝫ institutum dicitur: sed ubi assecuti, opus appellatur. Ea verò, quæ ad finem referuntur, quibus ad institutum opus uti oportet, instrumenta sunt. In his duobus operibus, ut & instrumentis, tam errata cujusque artificis, quàm rectè facta consistere dicit. Errat enim, cùm opus instituit, quod incommodum sit, vel non idoneis utitur instrumentis. Contrà tunc egregiè suo fungitur munere, cùm & sibi proponit efficiendum opus commodum, & instrumenta adhibet idonea. Non dissimile est, quod in actionibus usu venit, in quibus Aristoteles attendi similiter finem voluit, & ea, per quæ ad ipsum pervenitur Finẽ bonum haberi à virtute ait: à prudentia verò, quæ ad ipsum perducunt. A virtute autem, ut agamus, quæ bona sunt, monemur: Rationẽ agẽdi, & ad institutum perveniendi, â prudentia docemur. Eadem duo animadverti quoqꝫ in medicina debent, cujus artificium partim in fine, id est,

est operibus, partim in instrumento consistit. Morbi igitur hi, ubi adsunt, curādi. Videndum tamen priùs, num cum causa continente jungantur, siquidem hanc auferre priùs necessum foret. Est autem causa continens, vel humor admodum pravus, in corpore nostro correptus, vel venenum jam conceptum, utrumvis sit, partim educendum, partim corrigendum: Tutiùs tamen educitur. Humor ergò vel venæ sectione vel catarctico evocandus. Evomendum venenum: virus, quod per morsum aut ictum illapsum, per idonea medicamenta vel extrahendum, aut juxta Celsum per cucurbitulas aut Psillos exsugendum. Corrigitur etiam humoris ac veneni pravitas, cùm antidotis temperatur ac frangitur. Hujusmodi sunt: Aqua contra lethalia venena Matthioli, aqua theriacalis Rondeletii, Item Andernaci, atque sal theriacale, & pillulæ pestilentes Donzelini, & famosum medicamen Ruffi, Lapis Bezoar, etc. Cùm nulla adest continens causa, mederi morbis, qui partibus solidis insident, oportet. Tunc verò amplius educentibus

non

non opus: Neq; enim detrahenda ſubſtantia ſolida, ſed mutanda & corrigenda: id quod commodè præſtant medicamenta, â quibus humoris ac veneni pravitatem frangi diximus, quæ eadem hæc vitia, partibus ſolidis impreſſa, corrigunt, quamvis non ita facilè, ut in humoribus, quòd illi his difficilius patiantur. Hæc curatio catholica ſingulis ſpeciebus accommodanda: Quibus licet eadem opera conveniant: varia tamen applicanda inſtrumenta erunt.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-633560-p0023-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-633560-p0024-4

27

IORBIS
VBSTAN-
RÆ NOSTRÆ
RARIIS

ſma Medicum,

dio Clariſsimi Viri
SSENII à IESSEN
rofeſſoris VViteb:

litorio Majori publica
one tuebitur

ius Geranodenſis.

M l 286a

BERGAE
onis, An. M. D. XCVI.